

No. 437. 1342. 15. Apr.

Nicolaus von Panowitz, Dr. d. geistl. Rechts, Domherr zu Glogau ertheilt in derselben Frage ein Rechtsgutachten.

Venerabilibus et discretis viris dominis capituli ecclesiae Mysenensis Nicolaus de Panowicz doctor decretorum et cantor Glogouiensis salutem sinceram cum fraterna in domino karitate. Ego dictis et opinioni domini et magistri Apezconis scolastici et officialis Wratislaviensis adhaereo dicens, quod ex ordinatione vestra apparet, quod obedientiae vestrae cum diminutione conferuntur, cum singulis annis certis temporibus vinum, granum et pecuniam solvere eas habentes teneantur, alias certas poenas incurunt, nisi ipsas resignaverint tempore constituto, beneficia autem ecclesiastica sine diminutione conferuntur, a. q. m. Si quis praebendas vel ecclesiastica beneficia in rubro et nigro ad fi.^a). Ergo obedientiae praedictae beneficia ecclesiastica dici non possunt, nisi forte large, in quantum ipsas tenentibus benefit, si aliquid ultra censum lucrantur debitum. Sunt enim quasi quaedam conductiones ad firmam, quod patet ex principio vestrae ordinationis, ad hoc delocatio vestra, vel quaedam emptiones fructuum; ratio, quia in vestra ecclesia obedientiae emuntur et venduntur, vel per remunerationem . . . mercede laboris, quam senior aut dignior de vestra ecclesia sustinuit diutius seu frequentius, sibi conferuntur. Talia enim nomine beneficiorum in decima beneficiorum alicui per papam concessa non comprehenduntur, ut notat Jo. An. in Cle. si beneficiorum de decimis in prima glo.^b) . . . Si autem facit etiam quod ibidem notatur ubi de quarto et . . . , maxime cum non sint vestrae obedientiae beneficia ordinata per episcopum. Si ergo talia in gratia concessa per papam, quae largissime est interpretanda, ff. de const. princ.^c), beneficium de donationibus cum dilecti^d), de verborum sign. olim^e) et tua nobis^f), nomine beneficiorum non includuntur, ut supra dicitur, multo fortius statuto vel consuetudine inferiorum, quae sunt stricti iuris et restringenda, de regu. iuris quae a iure communi lib. VI.^g) cum concordantia in positis. Et sic in vestris obedientiis Extravagans Suscepti non habet locum satis, quod notatur in principio allegatorum Clement. si beneficiorum de decimis^b) in glo. in quibusdam, quae de praedicta Extravaganti facit mentionem. Item illa quae sunt ad certum usum largitione destinata fidelium, ad illum debent et non ad alium converti salva apostolicae sedis auctoritate, de conse. d. I. vestimenta^h), de reli. do. quia contingit post principium in Clementinisⁱ). Sed vestrae obedientiae nunc ex ordinatione praefata et antequam facta esset ordinatio, sunt et erant communes redditus capituli pro cottidianis distributionibus largitione fidelium divinis tunc interessentibus deputati, quod patet ex causa statuti in principio vestrae ordinationis posita, et quia nunc tenentes quasi ad firmam certum quid vini, pecuniae et grani statutis festivitatibus distribuendum solvunt in omnem eventum, residuum, si quod est pro labore, periculo, dignitate et anti-quitate sibi reservantes. Ergo ad alium usum non debent converti, quod fieret, si sic

a) Decret. Grat. P. II. c. 15. C. I. qu. 3. b) Joannes Andreae in Clementinis de decimis III. tit. 8. c. 2. si beneficiorum. c) l. 3 ff. de constit. principum (I, 4). d) c. 6 X. de donationibus III. 24. e) c. 16 X. de verb. signif. V. 40. f) c. 32 ibid. g) c. 28 X. de regulis iur. in VI. libr. V. 12. h) Decret. Grat. P. III. dist. 1. c. 42. i) Clement. de religiosis domibus III. tit. 11. c. 2.